

**www.e-rara.ch**

**Fasciculus Juris Publici Ex Labyrintho Canonico, Legali, Feudali Et S. R.  
I. Viridariis**

**Hermes, Hermann**

**Salisburgi, An. M.DC.LXXIV**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-68014>

Caput III. De imperii Romani in specie, origine & progressu.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

va, Luca. Hinc Agellus in Nortman-  
nia titulo olim & privilegio regni  
donatus à Clotario I. Francorum  
Rege. Befeld. in *diss. Philologica* n. 7.  
Jul. Belluf. in *Hermete Polit.* fol. 27. Sic  
ex historia Moyſis & Joſue apparet,  
quòd olim ſingulis urbibus ſinguli Re-  
ges ſeu Monarchæ imperaverint Genef.  
14. v. 1. & 2. Ita Joſue occidit unum &  
triginta Reges in Palæſtina, Joſue 12.  
v. 24. Quin & in exercitu Agamemno-  
nis multos fuiſſe Reges, tradit Home-  
rus, parvis Inſulis imperitantes, in A-  
rabia quoque ſingulis civitatibus ſuos  
fuiſſe reges, probat Befeld. *de jure ter-  
ris.* c. 4. Quamvis credibile ſit, unum  
ex ipſis digniorem fuiſſe aliis propter  
text. Joſue 11. v. 11. Aſor antiquitus in-  
ter omnia regna principatum tenebat,  
& c. 13. v. 30. cuncta Regna Og Regis  
Bafan, ut ita vanum ſit commentum,  
qui politices ignari volunt, regem ha-  
bere debere decem civitates. Lancell.  
*in teropl. Ind.* fol. 471.

QUEST. IV. *An Zingari de loco in  
locum commigrantes Remp. habe-  
re dicantur?*

Ratio dubitandi hæc eſt, quòd li-  
cèt in his deficiat conſenſus uno loco  
cohabitandi, ducem tamen habeant,  
& adſit conſenſus civiliter inter ſe com-  
municandi: prout Scythæ olim illu-  
ſtre habuerunt imperium, quamvis  
hominibus inter ſe nulli fines nec do-  
mus ulla, tectum aut ſedes fuerit, qui  
armenta & pecora ſemper paſcebant,  
per incultas ſolitudines errantes ux-  
ores & liberos ſecum in plauſtris vehen-  
tes, *Justin. lib. 2.* cujus vitæ generis au-  
tor fuiſſe videtur Jaba, Genef. 4. v. 20.  
Verùm cum his territorium fuerit am-  
plum, in quo nemo alius Jus dicere au-  
ſus fuit, aliud de Zingaris & id ge-  
neris erronibus ſentiendum, qui nulli-  
bi locorum imperant, nec territorium  
habent, ſed ubique pro vagis mendicis  
habentur.



## CAPUT III.

### De Imperij Romani in ſpecie, Origine & Progreſſu.

#### SUMMARI A.

1. Incrementa decrementa varia Sedis  
Apoſtolica.
2. Cur plures Pontifices quàm Impp.  
fuerint?
3. Imperij Romani vires.
4. Auguſti ortus & proſagia.
5. Prædictio Caſari facta.
6. Decrementum Imperij.
7. Orientalis Imp. origo.
8. Occaſio diviſi Imperij.
9. Conſtantino Cruce apparet.
10. Diviſionis alia ſententia.

11. *Imp. aliquando unienda fuerunt.*
12. *Constantini Imp. laus.*
13. *Incrementum Imp. sub Justin.*
14. *Omen tempore Justiniani.*
15. *Et ridicula eventientia.*
16. *Gilmer rex captus.*
17. *Decrementum aliud Imp.*
18. *Occidentalis Imp. origo.*
19. *Narses Longobardos advocat.*
20. *Imp. aliud incrementum.*
21. *Iconomachia causa malorum.*
22. *Aquila duplicis denotatio.*
23. *Carol. M. Papam restituit.*
24. *Casus Imp. incertus.*
25. *An Imperium adhuc Romanum?*
26. *Cur Rom. Germanicum?*
27. *An Imp. translatum in Carol. M. ut*

*vel Francia vel Gallia Regem?*

28. *Imp. cur Sacrum dicatur?*
29. *Reges aliqui Sancti.*
30. *Potestas curandi strumas an ad Sanctitatem faciat?*
31. *Imp. Romanum an adhuc Monarchicum?*
32. *Imperatoris potestas tantum restricta.*
33. *Mixtio Statuum an Monarchia tollat?*
34. *An Majestas in real. & personale recte dividatur?*
35. *Ejus ratio.*
36. *An in omni libera rep. duplex majestas?*
37. *Subiectum majestatis realis.*
38. *Imperium an majus sit Imperatore?*
39. *Status Imp. quomodo Capita vocentur?*

**S**icut Pontificatus suum augmentum & detrimentum habuit, nam post longas persecutiones, postquam fidei Christianæ lux publicè affulsit, sub Constantino M. à Sylvestro Papa, usque ad Papam Constantium Syrum ad tempora Justiniani 50. Pontifices primatum firmarunt per 400. annos. II. ab hoc Constantino usque ad Gregorij V. tempora 56. Pontifices annuente maximè Carolo M. ejusque Successoribus maxima sumpsit Incrementa. III. à Gregorio An. 300. usque ad Bonifaciū VIII. status vigoris fuit, quo summæ potestatis participes facti fuisse dicuntur Pontifices in coronandis Imperatoribus. IV. à Bonifacij VIII. tempore primatus cepit vexari, quod tempus decrementi, usque ad Carolum V. ubi majora sustinuit,

HERMES FASC. JUR. PUB.

ibiq; curiosum est, quod à Carolo M. usque ad Ottonem III. fuerint 14. Imp. & interim 49. Pontifices, sive septies septem numero. II. ab Ottone III. usque ad Rudolphum I. Imp. 14. & Pontifices 49. III. à Rudolpho I. usque ad Rudolphum II. Imp. 14. Pontifices 49. IV. à Rudolpho II. usque ad Leopoldum

Majol. *dier. Can. tom. 3. col. 2. p. 176.* quod vix mirandum, quia Pontifices frequenter in senio electi non diu vixerunt postea, Imp. verò etiam in florida & juvenili atate; Sic enim Sixto V. successit Urbanus VII. dies paucos superstes, huic successit Gregorius XIV. annum Pontificatu non perficiens, ei surrogatus Innocentius IX. vix bimestri superstes. Majol. *tom. 1. col. 1. p. 6.* Ita quoque Imp. hoc Rom. suas habuit, & sensit vices, nam & quarta

hæc Monarchia Augustissimi Rom. Imp. ex minutissimis Principiis in tantam excrevit amplitudinem, ut totum terrarum orbem sibi pœne adjunxerit. *Nov. 24. in præf. p. de Inst. Cod. confirm.*

- 3 † Prima ejus origo cum condita urbe Roma cæpit Anno mundi 3197. secundum alios 3213. vel 3220. à capto Ilio 431. ante natum Christum An. 751. regnante Osia in Juda & Jeroboam in Israel. *Spreng. in fragm. p. 752. Schönb. 5. polit. c. 4.* Imperium à primo conditore Romulo regale, Tarquinius Superbus in visum populo reddidit, qui 6. Calen. Martias regno exutus est Anno mundi 3441. ante natum Christum 507. Deinde incrementum habuit tempore Aristocratia, quo Patres imperabant. III. Vigorem & statum habuit tempore Democratia, cum summum consulare Imperium plebi communicaretur. IV. Summum verò vigorem quando fatali circulo confecto ad unius Imp. Octavij Augusti potestatem lege regia res Romana devenit. † Augusti Imperatoris ortus dein incidit eum in diem, quo de conjuratione Catilinæ in senatu agebatur, quo cum tardius Pater Octavij venisset, excusans se ob puerperium uxoris, Nigidius natali hora inspectâ dixisse fertur: Dominum terrarum orbi natum esse: Prædixerat Spurina † Cajo J. Cesari, ut proximis dies 30. ceu fatales caveret, quorum ultimus erat Idus Martiæ; Cumque eo mane fortè in domo Domitij convenissent, Cæsar Spurina ait: Idus Martias jam venisse; & responsum accepisset nondum præterisse, Eo die

Cæsar confossus, & Augusto aditus ad Imperium patefactus est. † V. Decrementum defuncto Augusto usque ad obitum Constant. M. VI. Casum cum Gothi & Wandaliterum Italiam, Africam, Hispaniam, aliasque regiones devastarunt: Factum quoque est Imp. hoc duplex; Orientale Græcorum, & Occidentale Rom. Germanicum.

Orientalis Imp. origo est à Constantino M. usque ad Justinianum. Postquam enim Constantinus extinctis 4. tyrannis Diocletiano, Maximiano, Maxentio & Maximino, qui in Imperio horrendam laniam exercuerant, Anno Mundi quater milleno ducentesimo septuagesimo secundo, Anno Romæ conditæ 1060. extincto etiam Licinio XXXIV. Rom. Imp. factus esset, is sedem Rom. Imperij, Româ Bizantium, surrogato Romæ Silvestro Papâ c. *Constantinus, dist. 96.* transtulit, quod à se Constantinopolin appellavit, Anno Christi 311. secundum Carionem 310. juxta Cassiodorum verò An. 331. quam D. V. Mariæ dicavit, 5. Idus Maij. cui eadem privilegia, quæ Roma habebat, concessit, & nova Roma etiam hæc dicta est. §. *fin. l. de sacrosd. l. 1. §. 13. C. de Vet. Jur. En. l. 24. C. de SS. Eccles. Nov. 70. c. 1. No. 131. c. 2.*

8 Occasio prima divisionis sequens perhibetur sub Constantio Cæsare: Helena virum suum Cæsarem tum erroribus infectum, tum ob sanguinem Christianum sæpe à suis Imperij collegis effusum expiare conata est, Gelen. *in Colon. Claud. lib. 1. Syn. 4. pag. 24.* qui (contra

(contra Baronium) Helenam matrem Constantini ante filij Baptisma Christianam fuisse contendit, ad morientem autem Constantium magnis itineribus advolans effecit, quod Constantinus M. ejus filius ab Ejóco Alemannorum Rege & Exercitu proclamatus est Imperij heres, qui Coloniam festinans Rheno trajecto Francorum Reges vicit, cepit, occidit, ad An. Christi 306. 307. & seq. apud Vbios, ubi citissima expeditione in Bructeros trajecit Rhenum ponte sternens hostibus pacem petentibus, qui tamen rebellantes rursus expugnari debuerunt. Cumque ei allata essent querelæ de Maxentij tyrannide, ex urbe & Italia contra ipsum meditantem expeditionem, se adjunxit sancta Thebæorum, & Britannia Societas per Helenam culti cum aliis, quibus auspiciis igniculus gratiæ divini afflatu matris succensus, sensim in flammam crevit, contra Maxentij superstitionem, † Cum autem in Coloniensi Dicecesi castra moveret, quinto Nonas Maij claro Cælo Imperator cum toto Exercitu apud Aram fluvium agri Coloniensis super eum locum, ubi nunc est Sintzrig veteris facti memoriam signans, & hodie adhuc servans, Crux in Cælo apparuit his literis circumlucentibus: IN HOC SIGNO VINCES: Victo deinde Maxentio, & velut altero Pharaone submerso in urbe Roma signum S. Crucis publicè erexit, tali elogio: HOC SALUTARI SIGNO VERO FORTITUDINIS INDICIO CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS JUGO LIBERAVI, ET S. P. Q. R.

VINDICANS PRISTINO SPLENDORI RESTITUI. Gelen. *d. lib. 4. p. 722.*

Divisum hoc modo fuit Imp. in Orientale, cujus sedes Constantinopolis, & Occidentale, cujus sedes Roma mansit, sicque Aquila biceps facta est. † Divisionem etiam nonnulli referunt ad tempora Caroli M. quo imperante, quod ultra Neapolim erat, ad Orientale, quod ab altera parte ad Occidentale spectasse dicitur, qui cum Nicephoro Imp. Græco Societatem ita inivit, ut orientem ille, Carolus vero Occidentem bicipitis aquilæ teneret, Munster. 2. *Cosmog. Freher. ad Pet. de Andlo de Rom. Imp. lib. 2. c. 14. p. 199.* unde vers.

*Picta biceps aquila hinc occasum, hinc  
aspicit ortum,*

*Alter aut nostri est, Caesaris alter erit.*

Klock. *de arar. lib. 1. c. 4. n. 2.* † Cumque An. 803. Caroli M. Legati Constantinopoli reversi, & Cæsaris Nicephori Legati Salisburgi hoc foedus tractavissent & conclusissent, utrumque hoc Orientis, & Occidentis Imperium unendum rursus fuerat legatis de matrimonio inter Carolum, & Irænem Orientis Imperatricem tractantibus, nisi Nicephorus Legotheta Imperium invasisset, ut ne quid à Carolo tentaretur, Augusti ei titulum detulisset, Occidentis Imperium sponte cedens sola Sicilia, & quæ à Sipontinis versus Græciam spectarent, retentis. Bucelin. *in An. pag. 46.* Ac licet illi Constantinopolitani Imp. deinceps dicerentur, nomen tamen Rom. Imp. à se non abdicarunt, ut ex eorum relictis epistolis & nummis probari potest. *facit. l. si quando. 35.*

*C. de Inof. test. princ. procem. Instit. ibi & princeps Romanus.* Quòdq; ante Cæsar dictator, & Severi Imp. filij Caracalla & Geta aliquando proposuerant, ut novam urbem conderent, quâ in Oriente Imperium fundaretur, hic in effectum deduxit; Germanos enim Dacos, Getas, Sarmatas, aliasque nationes inter Rhenum, Danubium, Mare oceanum & Schythicum, solitudines ita repressæ erant, ut nullæ incursiones, aut vis ab iis facillè pertimescenda esset, Orientales verò & levissimos maxime Syros, Persas, & alios hac novâ urbe in officio contineri posse ratus est. In hoc uno non satis cautus, *juxta* Gold. p. 1. de Elect. regis. cap. 4. quòd præcipua Imperij sustentacula limites Romani orbis, qui ab Augusto super Rhenum & Danubium 15. legionum præsidio firmissimè muniti erant, iis translatis in Orientem sustulit, eorum loco castella condens, & ripas debilibus subsidiis munitas relinquens, unde Barbarorum, Gothorum, Wandalorum, Alanorum aliorumque copiis invasum & occupatum, ex quo ruina occidentalis Imp. primò manavit, quod non dudum, post decessum Constantini M. qui cum regnasset annis 24. mensibus 5. diebus decem, mortuus est non absque suspitione veneni, 22. Maij, Anno ab urbe conditâ 1088. Barbari enim, quos omnino prostratos existimaverat, fluviorum ripis trajectis, nullo negotio oppida, & castella, præsidis solitis nudata vel infirmioribus munita, facillè expugnârunt, Romanas provincias Imperiumque miserè vastârunt, & exactis

Imperatoribus brevi Roma Imperij domicilium Barbarorum facta est mancipium, cum vix 140. annis à morte Constant. lapsis, Odoacer Herulus Rex Gothorum, Italiâ & urbe Româ potitus est, postquam alij Gothorum reges Italiæ 77. An. præfuerunt, quæ tamen omnia, ut futura contingentia, prævidere non potuit bonus Imp. † Si ingenium, si pietatem & reliqua in principe spectanda spectes, minimè contemnendus, licet eum omni convitiis cæno obruerit Zosimus, præter quem nemo unquam repertus est Christianus, qui post 11. sæculorum decursum famam ejus lædere tentârit, sed mirum non est, quòd homo à Christianâ religione alienus, idolorum hostem subversoremque odio & invidia persecutus sit. † Incrementum hoc Imperium sumpsit à Justiniano Imp. qui primò cum Justino, deinde ab An. 527. solus imperavit annis 38. sub quo per Belisarium & Narsen duces Italiæ, & Africæ potentissimæ provinciæ, & quæ de terrarum orbis Imperio dudum decertaverant, barbarorû manibus ereptæ Romano Imp. restitutæ sunt, Persæ debilitati, Erulos quoque Hunnos, Antaras, Gepidas, Alanos, Zannos, Abyssinos, Blemmias & alias innumeras gentes Justiniani auspiciis edomitas tradunt historici & legistæ *ad proem. Inst.* in quo non solum incredibilem animi virtutem, justiciam & pietatem, verum etiam immortale quoddam Dei Opt. Max. beneficium admiratur omnis posteritas, quicquid contra obgannat Procopius & noviter quidam Alemanus,

nus, quos rectâ refellit Thom. Riccius Regis in Angl. Advocatus An. 1628.

- 14 Cùm Justiniani tempore Samnites pueri per lusum ex se unum pro Belisario, alterum Vitigem elegissent, Vitiges autem isto lusu victus esset, hunc pueri ex arbore suspenderunt, & lupoveniente fugerunt, quod pro Justiniano signum boni ominis habitum; sub eodem Justiniano captus est Constantinopoli piscis, qui jam Bizantio 50. annis infestus fuerat, adduxitque tunc quidâ Constantinopolim † canem, ad quem spectandum cùm frequens populus concurrisset, multique annulos suos in acervo ante eum posuissent, ipse Domini iussu cuique suum citra omnem errorem restituit, idem canis rogatus, quis ex adstantibus dives, quis pauper, quæ mulier, vidua, virgo, meretrix esset, absque errore monstravit, veste cujusvis ad quæstionem manu apprehensa, ex Zonara Majol. *tom. 1. col. 7. p. 171.*

- 16 Sub eodem, cùm Rex Gilmer à Belisario gravi clade afflictus cum suis in Numidia montem accessu difficilem profugiens, dein victus inedia & frigore confectus se dedisset, in triumphum Constantinopolim ductus, Justiniano Imperatori præsentatus, id unum siccis congeminabat oculis, Imperatorem in throno intuens, & suam considerans dejectionem, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; qui Gilmer Hildericum Wandalorum Regem, in Africa à matre olim fide Christi imbutum sanguine proximus ipse Arrius ceu ignavum, ante accusans hoc

apud Wandalos obtinuerat, ut eo capto & interfecto accusatori sceptrum, & coronam deferrent, Imp. Justin. autem Hildericum viduam, & filios uti ex Valentiniani sanguine sibi cognatos benignè habuit, & coluit, Gilmerem autem cùm Arrianismum deferere nolleret, inter patritios referre noluit, sed tamen terris quibusdam in Galatia donavit. Ann. Bucelin. p. 20. & seq. plura de vita Justin. tradunt DD. *ad præc. Inst. & in specie Giphanius.* Status Imperij hujus à temporibus Phocæ, qui interfecto Mauritio Anno 603. creatus est Imperator. † Decrementum à Basilio, Casus ab Andronico usque ad excidium Constantinopolitanum, quando à Mahomete Amurathis filio occupatum & direptum fuit, utq; urbs Constantinop. à Constantino M. S. Helenæ filio instaurata, sic sub Constantino Paleologo alterius Helenæ etiam filio occupata fuit, unde Jordanes agebat: In iis sæpè regna deficient, à quorum nominibus inchoant.

Ad Occidentale quod attinet, ejus prima origo est à Longobardis: nam postquam Gothis exactis & Italiâ Imperio Orientis adjunctâ, hæc proprium Imp. habere desiit, quæ olim Imperium ipsum pepererat, cùm Narses ducis titulo Italiæ præfectus injuriis Theodoræ Augustæ laceratus esset. Ex quo enim Augusta hunc Narsen oderat, vel quòd Eunuchus esset, vel quòd dives, vel quòd majorem jubendi potestatem haberet, eique dixerat: *Narses, cùm Eunuchus sis, non vir, non es muneri tanto idoneus, itaque in rexti-*

*nam, ubi puella texunt, abi, & operare:*  
 ad hæc aculeata verba sedatè respon-  
 dit: *Eam telam orditurus discedo, quam*  
 ipsa forte, diùm vixeris, detexere non po-  
 teris. † Hinc Neapolim profectus,  
 19 legatos in Pannoniam ad Longobar-  
 dos misit, suadens ut relicta terrâ in-  
 cultâ, frigidâ, asperâ, in Italiam ferti-  
 lem, temperatam & opulentissimam  
 venirent, missis simul equis velocibus,  
 pomis suavissimis, metallis purissimis,  
 aromatis odoriferis & vestibus sericis,  
 quibus abundabat Italia, quâ oc-  
 casione vastantes totam Italiam ingres-  
 si, eâque potiti sunt Anno Christi 566.  
 Carion. *lib. 3. hist. pag. mihi. 143.* Gue-  
 yar. *in horol. princ. lib. 1. c. 16.*

20 Incrementum sumpsit tempore Ca-  
 rol. M. Cùm enim Romani Pontifices  
 ab orientalibus Imp. contra Longo-  
 bardorum sævitiam opem imploras-  
 sent, frustra autem, tum quòd vix vires  
 suppetere iis, propter vicina loca à  
 Saracenis, Avatibus, Bulgaris, Hunnis  
 & aliis tuenda, tum quòd Constanti-  
 nop. Imp. in Iconomachia hæresin  
 lapsi, cum Pontificibus, ipsorum hæ-  
 resi adversantibus similitates habebant,  
 qui non tantùm SS. Imagines Con-  
 stantinopoli & in Oriente impiè abra-  
 di iusserant, sed idem Romano Ponti-  
 fici sub pœna mortis persuadere vole-  
 bant; quorum amentiam Gregor. II.  
 Pont. non solum contempsit, sed etiam  
 in Missarum solemnibus Orientalis  
 Imp. nomen reticere voluit, ejus ima-  
 ginem Romæ in nummis cudi & Leo-  
 ni Isaurico tributa & vestigalia tam  
 Italiae quàm ius Romæ sub Anathe-

mate solvi vetuit, unde quicquid in oc-  
 cidente Imp. Constantinopolitanis su-  
 pererat, id amiserunt.

Præfata Iconomachia hæresi Ann.  
 767. ortâ prima inter Orientalem &  
 Occidentalem Ecclesiam controversia  
 fuit de S. Trinitate, & sacris imagini-  
 bus. *Annal. Pipin. p. 62.* ubi Leo III. Imp.  
 Constantinopolitanus edicto publico  
 per totum suum Imperium imagines  
 SS. tolli mandavit Constantinopoli,  
 cui se opponens Gregor. II. Papa  
 Cæsarem excommunicavit, & Impe-  
 rio amovit, surrogatusque est post  
 Leonem Constantinus V. cùmque  
 Papa convocata Synodo Ravennæ  
 coli imagines iussisset, Constanti-  
 nus convocata Synodo per Græ-  
 ciam Patribus amolitione conclusâ  
 exemplo patris sui easdem sustulit,  
 & combussit mandans Paulo Papæ, ut  
 juxta conclusum hujus Synodi idem  
 faceret, qui tamen Pipini Francorum  
 Regis viribus fidens hæc vento com-  
 milit, Constantinus moriens filium re-  
 liquit Constantinum VI. qui ducta  
 Irene unum filium Constantinum im-  
 puberem reliquit: Hæc convocata  
 Synodo in Nicæa imaginum usum re-  
 duxit ante à Leone III. & aliis proscri-  
 ptum, Constantinus autem VI. jam a-  
 ductus, cùm Imperio potiretur, rursus  
 easdem dejecit, Papa e contra pro ima-  
 ginibus persistit; Hic Constantinus  
 dein dolo matris Imperio privatus in  
 carcere asservatus est. Nicephorus au-  
 tem Imp. ad se traxit, & imagines rur-  
 sus dejecit, quem imitari successores  
 Constant. Imp. excepto Theodoro

22 qui in Concilio Lugdunensi Galliae ad partes Papæ transiit Imperio idè exutus. † Quia autem Aquila avium regina censetur, idè duplex Orientem & Occidentem designat, Freher *ad And.* 2. c. 14. fol. 199. & Romulo in monte plures primò apparuisse aquilas quidam tradunt, non vultures, ut communiter, licèt hic fasciculos foeni in vexillis usurpârît. Hinc Pontifex Greg. II. ad Francorum regum opes longè latèque per Occidentem florentes confugit eas contra Longobardos evocando, cùmque Carol. Martellus Francorum Dux pro Papa Gregorio apud Luitprandum Longobardorum regem precibus egisset, ejusque Filius Pipinus vel hortatu vel rogatu Stephani Papæ, contra Arstulphum armis usus esset, c. *hortatu.* 10. 23. q. 8. tandem paternæ & avitæ pietatis heres Car. M. Romanam sedem & urbem pro Hadriano Papa, contra Desiderium Longobardum bello tutatus est. d. c. 10. *junct.* c. *Hadrianus.* 22. *dist.* 63. devictâ Papiæ cæpit Desiderium regem.

23 d. c. 22. † Qui Carol. cùm sedem Romanam opibus & temporali ditione extolleret, Ravennam cum Exarchatu &c. de Longobardis captam Sedi Romanæ largitus esset, à Papa Francorum primò mox Longobardorum Rex, inunctus & Patricius Romanorum creatus, quæ tum suprema in urbe erat dignitas. Cùm insuper in occidente Constantinopoli Eirene mulier filio Constantino oculis privato, Imperij habenas sola tractaret, hâc occasione, Leo III. Papa populi scito & cleri ro-

gatu Carol. M. ob egregia in Christianum nomen & Romanam sedem merita Romanorum Imp. Occidentis primò, & inunctum & diademate aureo redimitum Augustum appellavit 8. Calend. Jan. ipso die natalis Christi Anno Christi 801. & subsecuta est mox populi acclamatio, sicque primus ex Francis Romæ veteris & Occidentis Imp. creatus est majorum Romano more regnandi jure Occidenti restituito. *Coring. de Rom. Imp.* n. 24. Acta & Vitam Carol. M. descripsit Eginhard. ipsius Alumnus. Status hujus Occidentalis Imperij fuit ab Ottone ad Rudolph. Habsburgensem. Decrementum à Rudolph. ad Carol. V. † Casus est de reservatis solius Dei; perennem enim & cum omni ævo duraturam sclicitatem divina ei ominantur oracula. Daniel. 2. v. 44. *Es.* 7. v. 18. *jam futuram.* 12. q. 1. quod olim etiam persuasum fuit Romanis juxta illud Virgil.

*His ego nec metas rerum, nec tempora pono,*

*Imperium sine fine dedi.*

V. Belsold. *de rep. cur. sub n.* 14. quem admodum enim aquila senio non appetit nec ægritudine, sed fame, *Plin. lib. 10. nat. hist. c. 3.* & immunis est à fulmine, ita hujus Imperij dignitas ad finem mundi durabilis est: Et ut aquila humeris suis portat pullos suos; Ita Deus auxilio paterno Imp. sublevari & Imperij hujus membra, omnes fucos qui irretortis oculis veram Dei fidem pertinaciter intueri nolunt, vel agnoscere, & advolant depredandi studio,

studio, potenter repellat. Schönb. 4. *polit. c. 4. in fin.*

Hanc autem esse quartam Monarchiam, de qua vaticinatus est Daniel, probatur: Illud Imp. est ultima Monarchia, in quo de monte abscissus est lapis, Daniel. 2. v. 34. sed id factum sub Imp. Rom. quando Anno Augusti 42. de monte, id est, de V. M. abscissus, & natus est sine opera virili lapis Christus, Luc. 2. v. 1. & B. Virgo anno ætatis suæ 14. genuit Salvatorem. Gelen. *in Colon. Claud. Synag. 1. pag. 2. qua de re consulendi Theologi, add. Petrum de Andl. lib. 2. c. ult.*

25

QUEST. I. *An hoc Imperium adhuc dici possit Romanum?*

Affirm. Sequitur ex dictis; aut enim adhuc durat Imperium Rom. aut prophetia Danielis fallit, juxta quam perdurabit usque ad adventum Christi in novissimo die in judicio & throno suæ majestatis, Dan. 7. v. 9. vel in nubibus Dan. 2. v. 13. non hoc, ergo illud. Et hinc in recessibus Imp. passim vocatur *das Heil. Römisch Reich Teutscher Nation* / æt licet accidentia mutata sint, substantia tamen mansit, accidens autem non mutat speciem ex doctrinâ Philosophorum. Hinc iisdem Imp. adhuc utitur insigniis, quibus præci Imp. videlicet aquilâ, quæ regem designat apud Ezechiel. c. 17. v. 3. atque ita de hoc vaticinatus est Moyses Deuter. 28. v. 49. Marium enim in bello Cimbrico aquilam in vexillo habuisse legitur. *Befold. in Thes. verbo Adler.*

Accedit, quod omnes in orbe Romano degentes Cives Romani dicantur,

*l. in orbe de stat. hom. & Roma communis omnium sit patria. l. Roma ad Municip. Apostolus quoque Paulus se civem Romanum dixit Actor. 25. v. 10. cum tamen Tharso, Ciliciæ oppido natus esset: Sic Imperium I. Assyriorum, quandoque Babylonicum dicitur, cum tamen una fuerit Monarchia, cujus sedes fuit in Ninive, dein translata Babylonem, unde dictum etiâ fuit Babylonicum, nec tamen propterea desit esse Assyriacum, sed primam denominationem retinuit. Esaiæ 14. v. 25. Schönb. 5. *polit. c. 4. pag. 489. Quin & hoc unum sufficet ad omnem hunc scrupulum tollendum, quod olim translato Imperio Bizantium, Romanum tamen dictum sit Imperium, ut & Imperator Constantinopolitanus dictus adhuc est Romanus. l. 35. C. de Inof. test. §. 1. I. proem. Reinck. de reg. sac. lib. 1. class. 2. c. 3. Quid quod hodierna Germanorum nobilitas maxime à Romanis descendat: Romana verò in Italia plurimum defluerit?**

Non obest, quod Roma translata sit ad Papam, eique pareat, c. *Constantinus. dist. 96.* unde ergo dici potest Imp. Romanum? R. I. Romam non tam caput quàm sedem fuisse Imperij; sedes occidit, Imperium autem ad Germanos devenit. R. II. ibi Romana censerit, ubi Romanus est Imperator, unde Bizantij novâ sede Imperij constitutâ hæc nova Roma dici cœpit. §. *fin. de satiud.* Et Lucanus ait:

*Vcios habitante Camillo*

*Illic Roma fuit.*

*Zaf. in parat. n. 20. D. de his qui sui vel*

vel al. Sic & Roma Avenione fuit, Pontificibus ibi annis plus minus septuaginta viventibus, nullus tamen Papa se Avenionensem, sed omnes Romanum appellarunt: Item ubi Helena, ibi Troja, Herod. in *Masis*. Moravitzky de *S. R. I.* pag. 13. ubi dicta Blondelli refellit.

26 **QUEST. II.** *Cur Romano-Germanicum non Germanico-Romanum vocetur?*

R. Id requirere Romani nominis præcellentiam & dignitatem, quâ aliis præit,

*Ante citos quantum Pegasusibat equos.*  
& quia ad principium formatur eventus, resve quævis ab origine potius denominanda. *l. l. §. 13. ff. deposit. adde latius Lynn. in annot. ad capit. Carol. V. ad verba Römisch Reichs. pag. 100. & seqq.*

27 In dubium quidem vocari solet, An in Carolum Magnum tanquam Germanum, vel Regem Franciæ translatum sit Imperium; pro prioræ facit, quod Carolus Magnus Germanus fuerit, qui mensibus & ventis nomina indidit germanica, quibus adhuc utimur; Ejus pater Pipinus Moguntia à Bonifacio consecratus in Germania sedem fixerit.

28 **QUEST. III.** *Cur hoc Imp. Sacrum dicatur, & quandoque etiam Sacrosanctum.*

An quod sanctione pœnali ab injuria præservetur, pœnâ cap. & perduellionis in ejus violatores constitutâ, *l. fin. de R. D. v. t. ad leg. Jul. Majest.* An quia leges sanctæ, *l. Sanctio de pœnia.*

HERMES FASC. JUR. PUB.

vel sacratissimæ, §. *Et cum sacrum pro-am. Inst.* legum cultores sacerdotes, *l. 1. de 1. & 1.* Multò magis Imperium ipsum, propter quod hæc omnia sunt talia, ex communi axiomate, propter quod unumquodque tale, illud ipsum magis tale est: An quod multi Imp. sancti, at hoc longè petitur, fuerunt enim etiam multi Athei & mali, prout Regi Galliæ titulum sancti tributum refert Lynn. in *annot. ad cap. Carol. V. p. 97.* † quod multi Reges, qui illi præfuerunt, sancti sint, quæ licentia eò crevit, ut vigesimum quemque Regem ab eo, qui primus inter ipsos fidem Christi suscepit, sanctum determinare quis ausus fuerit, addens ad Regem Ludov. XIII. Domine vos estis XX. Rex Galliæ post S. Ludovicum, ut ille fuit XX. post Carolum M. in numerum SS. relatus: verum hinc regulam de XX.

fomare, periculosum est, cum sit ex censu earum rerum, quæ semel aut bis eveniunt, unde non resultat regula. *l. 3. & 4. de legib.* Sic & in Hungaria quinque Reges Wenceslai fuerunt, & ex his duo Sancti. In Hungaria duo Stephani, ex quibus unus in numerum SS. relatus. In Castellano Regno duo Alphonsi, primus ob pietatem Catholicus, secundus ob pudicitiam castus; Inde quinque Ferdinandi, ex quibus tertius Sanctus habetur; unde tamen, sicut nihil inferitur, ita etiam nihil inferri potest. In Gallia duodecim Ludovici fuere, & in his Ludovicus Sanctus, Novem Caroli quorum primus Carolus Magnus, ut & in Anglia Eduardi novem, quorum secundus est Martyr & Sanctus,

E

post

post Eduardos Henrici Octo, ex quibus laudatissimus est Quintus.

- 30 Nec facit quicquam ad sanctitatem Regum Galliarum potestas curandi strumas: nec hoc Sanctitatis ulli esse potest indicium, nam & mulier Adriani Imperatoris genua osculata visum recepisse legitur; Pyrrhus Epirotarum Rex dexteri pedis pollice splene laborantes curabat, cumque Rex mortuus combureretur, solus ille digitus integer mansit. Maj. tom. 2. coll. 2. p. 122.

- 31 **QUEST. IV.** *An Imp. Romano Germanici Status adhuc sit Monarchicus:*

Præsupposito quod tres administrandi species misceri possunt, & detur Status reip. mixtus, ut ostendit Besold. in dissert. sing. de statu reip. mixto, cont. Bodin. 2. de reip. c. 1. Imò nec Monarchiam, nec Aristocratiam, nec Democratiam ullam puram sine temperamento unquam extitisse, nec hodie extare propugnat Knichen. *diss. de rep. 3. coroll. ult. Conzen. 1. polit. cap. 14. §. 3.* quod tamen asserere non audeo. Quod si tamen misceantur, & hæc formæ intendantur & remittantur, & una prædominetur, ab hac faciendam esse denominationem, suadet *Arg. l. queritur de stat. hom. l. 2. in fin. ff. ad l. aquil. cum mixta continentur sub simplicibus & iis, quorum naturam magis participant, quâ ratione non male dicitur hereditatis petitionem, & tria judicia fam. heriscundæ, com. divid. fin. reg. quæ mixta dicuntur, l. 7. C. de hered. pet. §. quadam. l. de act. verè esse realia Judicia, quia præstationes persona-*

les abesse & adesse possunt, non etiam natura realitatis: Licet itaque in S. R. L. Electorum Collegio Aristocratia, in quibusdam Imperij Civitatibus Democratia, in quibusdam hæc cum illa mixta reperiatur, Ein enger Rath oder Ausschuß / quod ad Oligarchicam imperandi rationem tendit. Besold. in *th. pract. v. Geheimer Rath.* De hisce tamen subordinatis hic non est quaestio, sed de summa Rom. Imperij & Imperatoris potestate ac imperio, cui hæc subordinantur & conjunguntur: Et quod Imperium hoc adhuc Monarchicum sit propter Monarchicæ prævalentiam, sustinet post alios Reinck. *de reg. sac. l. 1. clas. 2. c. 2. n. 52. & seqq.* quam sententiam licet solidissimis rationibus magni nominis Jurisconsulti & Politici fundent, tamen post optimorum messorum terga spicas colligendo, hinc manifestum evadit, I. quod olim Monarchicum Imper. & Majestas fuerit apud Pop. Rom. *l. 7. §. pen. de capt. & poss. l. 1. §. 1. ad l. Jul. Maj.* hic autem omne suum Jus transtulit lege Regia in Imper. *l. 1. de const. pr. §. sed & de l. G. C.* Unde fortuna Imperialis supra omnes alias eminere dicitur, *l. cum multa. in fin. C. de bon. q. lib. Nov. 30. in pref. c. 2. in pr. de re jud. in 6. eâ nihil sanctius in terris habetur. l. fin. C. de ll. l. Titius. § 7. de ll. 2. de Jure mundi dominus dicitur, l. 9. ad l. Rhod. l. bene. C. de quad. presc.* Sed hoc nullibi revocatum legitur, ergò adhuc durat, *l. præcipimus C. de appell. Cum de præterito in præsens præsumatur, l. sine C. de prob. Clar. 5. sent. text. 8. q. 35. n. 8.* Unde & hodie

hodie Imperij omnium Statuū & Principum Imperij dicitur & est dominus clementissimus, *R. N. zu Augsp. An. 1525. in pr.* omnes & singuli Status obedientiam ei & subjectionem tanquam supremo Domino debent, *Constit. In sp. sub tit. von Handhabung des Friedens/ de Anno 1521.* Similiter titulus Majestatis tribuitur ut ll. nostris *l. Imp. §. 1. de hered. instit. l. famosi 7. §. hoc sacramen 3. ad. l. Jul. Maj. l. 4. C. de ll. l. si Imperialis. 12. in pr. & fin. C. eod. l. fin. C. de don. inter vir. & ux. Proem. Instit. in pr.* Ita hodie passim testantibus recessibus Imp. cum nec Rex Bohemiae, nec Daniae titulo Majestatis in Conventibus Imp. & Electoralibus, ubi ut membra Imperij adsunt, polleant. *Befold. in th. verb. Majest.* Alij autem Imperij Principes Eminentiae, Serenitatis & Celsitudinis titulo contenti sint. *Bodin. 1. de rep. 10. p. 233.* At insurgunt contradictores nemini nisi Imperatori titulum Majestatis in Imperio Romanogerm. tribui, id autem intelligi vel respectu Imperij, cujus autoritatem Imp. repraesentat, aut ex antiquae potestatis relicto vestigio, aut pro inani funulacro habendum esse, & ita fieri more Germanis usitato, qui ubivis ac semper inanium titularum sint largissimi, & voce Majestatis abutantur, & addit *Bodin. 1. de rep. c. 10.* quod haec curialia nihil potestati imperantis tribuant, vel addant; sin autem non circa corticem verborum haerere, sed rem ipsam seposito omni partiali affectu inspicere velimus, cum non in nomine, sed in plenitudine potestatis Majestas

& Monarchia consistat, alias nihil ad rhombum faciat, an quis Dux, Rex, vel sua Majestas vocetur, *juxta Fendist. ad t. feud. Quis dicatur dux.* Verum haec erronea esse, hinc patet, quod Jurisconsulti veteres, quorum responsa in Pandectis extant, Majestatem Rom. Imper. adscripserint, qui verborum proprietatis religiosissimi fuerunt observatores. *Cujac. ad l. 8. de Exec. tut. & obstat ipsis commune hoc, quod verba semper in significatione propria accipienda sint, nisi absurdus inde vel ineptus sequatur intellectus. l. 19. de ll.*

At replicant; Quicquid fuerit olim, hodie potestatem Imperat: restrictam, ut majestatis essentia ei adempta sit, cum teneatur Imp. Imperio seu ordinibus actionum suarum rationem reddere, & si dignitate Imperiali indignus judicetur, a gubernaculis & Imperio removeri possit, ut Exemplo Adolphi Nassoviensis, & Wenceslai probant; Cum alias ijs qui Majestatem habent Monarchae, nemini praeterquam immortali Deo rationem reddere cogantur. *Bodin. 1. de rep. c. 8.* Ad hanc replicam respondendo licet negari non possit quoad modum administrationis modernae in Imp. Rom. Germ. Monarchiam magis quam olim temperatam esse, ut alias declarabitur, quia tamen adhuc Monarchia praevalet, a praevalente denominatio pristina manet. *arg. d. l. quaerunt.*

At hanc mixtionem diversarum formarum Monarchiae cum Aristocratia rejicit *Bodin. 2. de rep. c. 1.* verum refellitur per tradita *Befold. in dissert. Sing.*

de stat. reip. mixt. c. I. cui favet quotidiana experientia: Ait Bodin: tres illas reip. formas Monarchiam, Aristocratiam, Democratiam species esse naturæ planè contrariæ, legibus & principiis constare contrariis, media & fines habere contrarios: Et sicut Monarchia in unius summa & absoluta potestate consistit, sic contrà Aristocratia optimatum, & popularis Democratia unius imperij impatiens sit, & in his eo tenditur, ne unus sed plures vel omnes clavum teneant, unde infertur, quòd stantibus istis contrariis motibus ac intentionibus, hos status inter se collidi necesse sit, vel excitari gravissimas discordias, ut armis tandem discernatur, donec unus status purificetur, & aut ad unum, vel plures, vel universos summa deveniat potestas, ut de dissensionibus patrum & plebis veteres historiae demonstrant: Hoc tamen nihil attento, cum videamus, quòd ex 4. elementis contrariarum qualitatuum ipsa rerum natura constet, & mundus ipse, quæ contrarietas non tantum naturam non destruit, sed admirabili temperamento variè exornat: Item ex repugnantibus inter se humoribus natura hominis coagmentata est, in qua calida frigidis, humida siccis pugnant, flava bilis & fel amarissimum cum dulcissima pituita; quâ discordiâ & temperamento sublato, homo, natura & mundus interitura sunt: Ex diversi quoque toni fidibus ad symmetriam intentis sonus oritur gratissimus & melodia suavissima, gravibus mediis & acutis conjunctis: Cur non eodem modo Resp. ex diversis & contrariis conflata constare posset

ex diversarum personarum gradibus, ex societate impetantium & parentium, per summam unius monarchiæ potestatem, sicut anima in corpore humano, natura in mundo contrarias inter se qualitates devinxit tali temperamento, ut in suavissimam harmoniam conspicerent, si summa potestas per alias temperetur: Sic durante Democratia Romana plebs non potuit abolere Jura Patritiorum, & Senatus; ac vicissim plebis libertas contra optimates defensa fuit. Si itaque tunc non repugnantis Aristocratiam cum Democratia junctam fuisse, nec hodie pugnabit mixtio Monarchiæ cum Aristocratia. Repugnet esse contraria in eodem subjecto in gradu æquè intenso, at in gradu remisso non repugnat; nec impedit unum eundemque in aliquo gradu frigidum esse & calidum, album nigrum, magnum & parvum: Ita & honoris & majestatis sui sunt gradus, & majestas alia major, alia minor est, hæc autem æquè ut illa majestas, ut musca non minus est substantia quam elephas, & minima capitis diminutio Jure nostro æquè est capitis diminutio, ut maxima & media. *l. e. de Cap. minut.* ita majestas capitulationibus hodie restricta æquè majestas est, ut olim illimitata. Hinc & prætori majestas aliqua sed infima. *l. ii. de l. & l.* hoc est dignitas & decor. *l. i. de possul.* At & Deo altissimo Majestas æterna, aliis Imp. temporalis tribuitur, *l. fin. in pr. C. de feriis. h. non disting. 32. §. Sacerdotio, de recept. qui arb. Auth. Cararos. C. de heret.* Quæ divina tamen transcendens est, ad quam

quam venerandam omnia nostra studia  
& actiones dirigimus cum Imp. *in l. 1.*  
*C. de off. pref. prator. Afric.*

QUEST. V. *An in uno Imperio du-*  
*plex esse possit Majestas?*

34

Non hic de concursu Majestatis Di-  
vinæ & humane, sed de humana tan-  
tùm dubium est. Sive *an Majestas*  
*reperiatur in Imperio & Imperatore,*  
*qui eidem proficiunt?* Resp. In eodem  
Imperio pluribus Majestatem secun-  
dùm gradus & respectus diversos tri-  
buere, non est absurdum: Una enim  
est Majestas Imperij, altera Imperato-  
ris; illa realis, hæc personalis: Utra-  
que insinuat verbis recessuum illis,  
*In Unser vnd des Reichs Stadt, Be-*  
*hold. diff. polit. de majest. in Gen. c. 1. §.*

4. Et hæc realem etiam Imp. Justin.  
*in §. 3. de publ. jud.* postquam jam du-  
dum lege Regiæ majestas & potestas  
pop. Rom. in principem fuit translata,  
agnovit & adhuc tamen in populum  
& Rempublicam Rom. crimen læsæ  
Majestatis committi dicit, *l. 1. §. 1.*  
*ff. ad l. Jul. maj. Bocer. de Crim. læs.*  
*Maj. c. 1. n. 25.* servavit enim post-  
ea adhuc majestatem, *l. 7. §. 1. de capt.*

35 *& postlim. revers.* † Ratio autem du-  
plicis majestatis hæc est: Cùm e-  
nim Imperij regnorum & rerump.  
finis sit, ut bene beatèque vivatur, fi-  
nis autem moveat agentem, necesse est  
remp. ea potestate valere, quæ ad illum  
finem assequendum est necessaria, illa  
autem potestas tum in optima consti-  
tutione, tum in constituta laudabili  
administratione consistit, nec itaque  
sufficeret sola potestas administrandi,  
seu potestas & majestas personalis; sed

altera insuper exigitur realis, à quâ ista  
personalis promanat, quæ facit alios  
imperantes, alios parentes, & si impe-  
rantes semel constituti extincti sint,  
novos surrogat, qui ab aliis aliter ap-  
pellantur, in Imperio nostro Impera-  
tores alibi Reges, alibi Duces, Prote-  
ctores &c. *Behold. d. loc.* Hæc realis  
Majestas Reip. cœva est, & durat  
quamdiu ipsa Resp. non mutatur, aut  
vi majore, aut omnium quorum inter-  
est consensu. Sic in Imp. Romano-  
germ. exulat successio, & Imperato-  
re mortuo successor à Septemviris ju-  
xta A. B. eligitur, interim verò Vicarij  
Imperij prospiciunt, ne quid interregni  
tempore Resp. damni accipiat; & si-  
cut ante hæc septem EE. ad hoc as-  
sumpti, ita jam placuit communi con-  
sensu octavum Electorem adjungi. *ex*  
*Instrum. pac. Germ. Suec. à 4. §. quod*  
*ad domum Palatinam.* Item in Galliis  
ad majestatem realem pertinet, quod  
primogenitus masculus proximus ag-  
natus succedat, per l. Salicam deficien-  
te prole mascula feminae arceantur, &  
per pares Regni proximus denomine-  
tur, & LL. fundamentalibus hæc con-  
tinentur qualis in Imperio nostro est  
A. B. & Capitulatio Cæsarea, in Gallia  
d. L. Salica, in Suecia hereditaria u-  
nio, alibi *Majestat-Brieff / Landfrey-*  
*heit / Land-Vereinigung.* In regno  
quoque Turcarum tales extare leges,  
hinc colligitur, quod Ann. 1622. Tur-  
carum Imper. Osimannus à suis occisus  
perhibetur, ob suspicionem quasi se-  
dem Imperialem in Asiam transferre  
vellet, *Behold. in histor. Turcica. fol. 1339.*  
Quam-

Quamvis effectus hujus realis majestatis non semper nec quovis tempore appareant, sed durante majestate personali dormiant, aut sint velut Rosa per hyemem in radice vel suspensa. Ac licet Paulus *in l. 169. §. 1. de R. I.* dicat, quod pendet, pro eo est, ac si non esset. Tamen dici potest, quod dies hujus majestatis, si nondum venit, cessit tamen: *l. 223. de V. S.* Ad hæc aliqui majestatem realem oppugnant hac catapultâ; ut majestatem Imperatoris personalem eo magis amplificent, adjungunt; quod majestas propriè sit in re animata, quæ verò Imperio & rei inanimatæ tribuitur, impropriè talis sit, ac per consequens non mereatur nomen majestatis. Uti Herodes, qui metaphoricè est vulpes, non est vulpes; & Deus qui impropriè habet manus, non habet manus. R. namque quod Imperium constituent Status, quorum singulæ personæ animatæ sunt, ex quibus coeuntibus totum Imperij corpus componitur; & licet universitas animam non habeat particularem, universi tamen habent, quibus conjunctis majestas competit, quam realem dicimus: Utraque summa suo modo; Realis quidem in ordine fundandi Imperium, personalis summa in ordine regendi, Realis in Imperio nostro est perpetua & sempiterna, cui durationem ad consummationem sæculi divina oracula, ut d. promiserunt, personalis tantum per surrogationem, *facit l. proponebatur. 76. de Judic.* At instant, duo summa in eodem ordine dari implicat. R. posse sine implicantiâ

juxta diversum respectum dicto modo prout in simili consilium Aulicum Imperii & Judicium Camerale utrumque rectè supremum dicitur, hoc in R. A. zu Augsburg An. 1530. §. vnd damit/ illud verò à Matth. Imp. in concept. des neuen Hoff-Raths-Ordnung/ de Anno 1614. tit. 1. §. Jedoch ist Unser.

QUEST. VI. An omnes libera res publica realem habeant majestatem? 36

Dubitat quidem Bertijs, *in discurs. de Jurisprud. publ. Germ. c. 2. concl. 8.* Sed de unaquaque id affirm. Carpz. *de capit. c. 1. n. 15. in princ. Besold. 2. Polit. s. 2. n. 4. & de majest. sect. 1. c. 1. n. 5.* cujus effectus apparet, si non aliis, saltem hoc casu, quo populus dominatur subjectis, vel pro derelicto habetur; vel morte omnes imperantes amittit, ut novos sibi successores & reip. formam constituere non possit, Schütz. *de I. publ. vol. 1. disp. 3. Th. 5. lit. C.* quarum rerum dispositio ad imperantem non pertinet, nisi populi permittit, prout quandoque in gratiam chariorum sibi principum judicium eorum & dispositionem de successore (quem aliàs nominare ipsis fas non esset,) ratam habent. Bertijs *de Jure maj. c. 2. concl. 5.*

QUEST. VII. Quodnam in Imp. nostro sit hujus realis majestatis subjectum genuinum?

Quidam EE. esse arbitrantur, Bert. *in d. disc. 1. c. 2. conc. 4. & 9.* Tum I. quod hi in A. B. 2. 12. vocentur bases & columnæ Imperii. Tum II. quod his competat jus & necessitas eligendi Imp. c. 4. §. 2. A. B. & quidem jam Jure

Jure quasi proprio non amplius nomine mandati nec precario *juxta Bert. d. l. n. 10.* in quo consistit fundatio Romanog. Imperij. Tum III. etiam quòd EE. jus habeant Imperium Imperatori electo committendi, & pro Statu Reip. alias & alias leges sive Capitulationes novo Rom. Regi præscribendi, *Carpz. d. Capitul. c. 1. n. ult.* Demum IV. ut meritum investiendi sic inmeritum devestiendi jus EE. usurpant, & quædam alia &c. Verius tamen est, si non universus populus, qui lege Regia Principi jus primitus dedit, saltem reliquos Principes & Status Imperii in majestatis realis societatem Electoribus esse adjungendos. Pro populo facit, quòd quicquid agunt circa Electionem Capitulationes &c. Electores, id nomine reliquorum Principum & Populi agere videantur, ac si id fieret à totà universitate Principum & Populi nomine. *Carpz. d. loc. n. ult.* Pro Principibus verò facit Elect. Moguntini ad cæteros Electores in electione Carol. V. habita oratio; Conciliabit, inquit, vobis benevolentiam Principum, qui vobis tantæ rei arbitrium solis commiserunt. Pro omnibus Statibus facit, quòd A. B. non tantum Elect. & Principum, sed omnium Statuum consensu & approbatione facta sit, adeoque ipsi Jus per hanc reip. foundationem quasitum. Ad hæc EE. integrum Majestatis realis assem non obtinere, hinc colligitur *ex c. 1. §. cum autem A. B.* quòd ipsi virtute fidei, quâ sacrum tenentur profequi Imperium, eligendi jus habeant, unde ipsi soli A. B. mutare, & novam reip. formam

sine concursu aliorum Statuum inducere nequeunt, *Lym. 1. de I. pub. c. 11. n. 130.* prout post A. B. in conventibus Imp. Status omnes sua suffragia cum EE. comportare videmus. Nec his obstant verba A. B. c. 12. ubi dicitur, duratura ad placitum Cæsaris & EE. *æ.* hæc de materia ibi subiecta tantum intelligenda, de loco ubi EE. congregatio fieri possit: Ad supra objecta pro EE. *æ.* ad I. non solos EE. esse bases & columnas sed cum aliis junctos, licet præcellentiores columnæ sint. II. jus eligendi ipsos habere nomine Imperii, quòd autem aliquando id dicantur habere suo nomine, id ambigè dici videtur, non quòd possint eligere, vel non, aut aliam formam reip. inducere, sed ideo quia stante hæc reip. formâ, nulli alii jus eligendi sibi arrogare possunt, & nunc EE. ex vi legis Imperii seu A. B. electionem peragunt; ad hæc rectè dicitur meum esse, quod mihi cum alio commune est. *arg. l. 46. ff. de Rit. nupt. l. 5. §. fin. de Leg. 1.* Sic Maximus Imp. (ut ab Herodiano proditum est) populi etiam imperium agnovit, dum ait: Nobis administratio tantum & dispensatio unâ vobiscum demandata est. Caput Imperii est Imperator, non totum corpus; & ut in corpore humano etiam aliarum partium sunt functiones, ita adhuc corporis & populi est Majestas sua realis suo modo & tempore.

QUEST. VIII. *An Imperium sit majus Imperatore vel contra?* 38

In hæc Quest. Bodinus nescio quâ odii virulentia incæcatus linguæ lascivia,

viâ, & petulantis calami crenâ Majestatem Imp. Rom. non penes Imp. sed Principes & Status Imp. residere, nec Imperatorem caput summum esse, nec Majestatem habere sustinet, & consequenter Imperio primas defert, his motivis. I. quòd constituens tanquam causa prima major sit constituto, ne plus sit in causato, quàm profluit ab influente potentiâ causante; sed Imperium ejusque nomine EE. Imperii constituunt Imperatorem, ergo. II. dependens non est majus eo, à quo dependet; sed Imperator ab Imperio dependet, ejusque beneficio imperat. III. Prius est dignius, Imperium autem est antè, & prius Imperatore. IV. Imperator est propter Imperium, non contrà; propter quod autem unumquodque tale, id est magis tale, juxta axioma Philosoph. Verùm hæc & similia tanti momenti non sunt, ut supremam Imperatoris Majestatem emergent. Contrarium autem ex seqq. potissimum apparet, quòd in recessibus Imperii Imperatores suam auctoritatem Imperii auctoritati præferant. *R. N. de Anno 1566. §. Demnach. ibi. zu Erhaltung Unser vnd des Heiligen Reichs Autoritet, & alias: In Unser vnd des Heil. Reichs Stadt etc. Item: Anno 1594. §. Dieweil dann in Unser vnd des Heiligen Reichs schwere Ungnad. Quod etiam absente Imperatore Status & Procetes Imperii Imperatori tribuerunt (ne quis dicat priora testimonia esse domestica & in causâ propria adeoque suspecta) Comitibus Augustanis Anno 1525. circa*

*princ. & zu Eslingen/ Anno 1526. ibi. in p. Als sie der Kaysersl. Majest. vnd dem Heiligen Reich verwandt vndd schuldig seynd. Reinck. c. 2. clas. 2. de reg. sac. n. 70. & seqq. Ad argumenta in contrarium allata respondendo. Ad I. Negatur major, cum Princeps supremus, setiam alium supra se constituere, eique se submittere, & jus potestatis in eum transferre certo modo possit, ut fecit Populus Romanus lege Regiâ; diversum est, si Princeps post se deinde constituat Proconules & Magistratus, qui tanquam Imperatoris & Imperii subditi post se Jurisdictionem exercent. Sic Cardinales creantur à Papa cum voto aliorum Cardinalium consistorialiter, & hi constituunt Papam, cui tamen subsunt, Sic Canonici Capitulares Arch: & Episcopum, Religiosi Abbatem, nec tamen Archiepiscopo, Episcopo & Abbate suo superiores sunt, ut proinde distinguendum cum Reinck. de Reg. sac. lib. 1. class. 5. c. 9. n. 20. inter translationem summi Imperii & concessionem Jurisdictionis à principe factam, his, qui in partem sollicitudinis assumuntur, illa superioritatem inducit in accipiente & subjectionem in eligente, hæc verò superioritatem in electo & subjectionem in eligente. Quod autem de causâ primâ influente allegatum fuit, obtinet tantum in causis permanentibus non etiam in transeuntibus, potestas autem, quam populus constituens, & nomine populi Electores usurpârunt, non mansit apud constituentes, sed in Imperatorem transi-*

vit, donec vivit, vel quoad vacet Imperium, tunc enim Ordinibus Imperij Jurisdictione suprema habitualiter inest, & per serenissimos Imperij Vicarios exercetur, donec eligatur novus Imperator, in quem dein omnis potestas summa & majestas personalis transit. Ad II. R. quoad originem constitutionis Imperium dependere ab eligentibus, non tamen actuali potestate gubernationis, cum post electionem jam Dei ordinatione Princeps imperet. Ad Rom. 13. v. 1. l. 1. C. de Vet. Jur. Enucl. N. 73. in pras. unde non EE. beneficio, sed Dei gratia sese imperare, Principes edictis publicis profitentur. Ad tertium dicitur majorem non esse absolute veram, ovum enim est prius pullo, non tamen dignius, & embrio prior est homine, non tamen prestantior, sic animalia bruta & cetera creata sunt ante hominem, & tamen homo ultimo creatus ceteris dignitate antecellit. Ad IV. R. Illud axioma obtinere in causis naturalibus essentialiter connexis, & per se agentibus, non vero in volunta-

riis, sic medicus est propter sanitatem, non tamen sequitur ipsum esse magis sanum, quam sanitatem ipsam; sic Christus passus est propter nos homines, non tamen nos Christo digniores:

At dices: Status Imperij capita vocantur. R. U. de A. 1524. §. weiters. & §. vornemblich zwischen den Christlichen Hauptern. Caput autem cujusque rei supremum & dignissimum censeatur, facit l. 44. de Relig. R. hanc appellationem statibus non tribui simpliciter & absolute, sed ratione suorum subditorum per quandam analogiam & convenientiam. Arum. de I. p. vol. 4. disc. 43. pro ut etiam paterf. caput suae familiae appellatur l. 195. §. fin. de V. S. Imperator autem ad differentiam summum caput, Das Ober-Haupt vocatur, R. U. de An. 1566. §. Und nach dem auch. circa fin. ibi. Wie Wir dann als Römischer Kayser vnd Ober-Haupt im Römischen Reich / cui respondet versus Guntheri:

*Nullum caput ista super se  
Aspicit excepto calorum rege potestas.*



CAPUT IV.

De Imp. Romg. Dignitate & Amplitudine veteri.

SUMMARI A.

1. Ambitus terrae.
2. Amplitudo sola non tribuit Imperio praeminentiam.
3. Romani Imperij praecellentia.
4. Davidis Ungnadij factum.
5. Amplitudo Imperij olim.
6. Amplitudo sub Trajano.
7. Imperium est instar pecunij.

HERMES FASC. JUR. PUB.

F

3. Afri-